

A Quoniam pones eos scorsum.] Notandum hinc est, primum quod impijs adimitur omnis facultas excutiendi plagas DE I, illisq; sese eximendi, dum illis comparantur, qui palis ad hoc alligantur, ut iaculis impetantur. Hanc nobis imaginem perpetuo ob oculos ponamus, quoties impios in terris insolere, superbire, & ferocire, nisi quod non posse viderimus.

Deinde obseruandum est, quæ sit plagarum Dei certitudo, quæ hoc versu per metaphoram collimationis exprimitur, qua solent tela in obiectum aliquem scopum exactè dirigi. Inter homines quidem plerumq; fit, ut scopum non feriant, etiam qui studiosissimè collimant. Deo autem ista imperfectio iaculandi tribui non potest, in quo nihil potest esse non ex omni parte plenum atque perfectum. Illo itaq; aduersus impios collimante, fieri non potest, ut plaga in irritum & incertum feratur.

Exaltare Domine in virtute tua.] Notandus est hic piorum affectus. Loquuntur de perditione impiorum: & ubi Psalmum concludunt, non dicunt, Perde Domine inimicos tuos: sed, Exaltare Domine: nec, In perditione impiorum: sed, In virtute tua: neq; addunt, Cantabimus propter exitium impiorum: sed, Cantabimus & celebrabimus potentiam tuam. Ergo delectat eos non perditio impiorum, dum illi à Deo perduntur: sed gloria exaltati Dei, & declaratio potentiae illius, ad quam magis, quam ad suam ipsorum salutem ac liberationem, respiciunt.

TYPVS CHRISTI IN DAVIDE.

Utraq; Psalmi huius pars insignem habet regni Christi typum. Is enim verè rex ille est cuius desideria & petitiones à Deo patre perficiuntur: quem Pater optimis benedictionibus cumulauit, corona regni coelestis inaurauit, sempiterna vita donauit, gloria & splendore illustrauit: ad hoc, ut sit mortalibus omnibus sempiterna benedictio, posuit: æterno gaudio cum vultu suo lætificat, & sic firmavit, ut in sempiternum moueri nequeat. Deniq; & hæc illius fors est, ut omnes illius inimici nihil efficiant aduersus ipsum cogitando, meditando, consultando, & conando, nisi hoc tantum, ut sese extremæ, certæ & perpetuæ perditioni reddant obnoxios. Ista omnia pulchrè in Christo iuxta præfixum typum, quem Dauid in se continet, animus spiritu fidei præditus considerabit, ac magna consolatione expendet.

PSALMVS XXII.
AD PRÆCINENDVM SVPER CERVA
MATVTINA, PSALMVS
Dauidis.

Ebraeus sic: על אילת השחר מוטרד דוד. Græcus ἐς τὸ τίλθ' ὡς τὸ τὸν ἀντιθέτως τῆς ἰωδίνης. Vulgata Latina: Pro susceptuone matutina. Chald. Pro virtute sacrificij sempiterni & matutini. Hieronymus. Pro ceruo matutino. Pagninus: Super ceruam matutinam. Felix: Super ceruam auroræ. Tigurina: De cerua matutina. Iustinianus. Super instrumentum musices, quod interpretatur cerua matutina. Kimhi annotat quosdam legere: Super Stella auroræ.

ARGVMENTVM PSALMI.

Argumentum huius Psalmi, licet præfixus sit titulus, tamen ex titulo sumi non potest: primum, propter obscuritatem: deinde, quod in titulo nihil agatur, nisi de eo quem hic Psalmus concernat: cum argumentum etiam exposcat, ut sciatur præterea, quid hoc Psalmo agatur. Sumendum est ergo Psalmi argumentum ex ipso Psalmo, consideratis principio illius, medio, & fine: quibus inspectis liquet describi sub persona Dauidis primum crucem & adflictionem, humilitatemq; & abiectiōem Christi, deinde illius ereptionem & exaltationem, & postremò regni illius ad extremos vsq; Orbis terminos prorogationem. Quod autem hoc Psalmo Dauid apertissimum Christi typum gerat, imò apertè de Christo magis quàm de seipso loquatur, ex nouo Testamento colligitur: nimirum ex ipsa passionis Christi historia, quæ hic non aliter prædicatur ac præscribitur, quàm si res iam gesta historico more narretur. Et præterea Christus ipse in cruce, ut in primo versu videmus, Psalmum hunc ad se rapit. Et ipsi Evangelistæ quoq; hoc satis exprimunt, dum versus aliquot ex illo citant, dum gesta passionis Christi commemorant, ut vers. 8. Sperauit in Dominum, eripiat eum, saluum faciat eum, si vult eum: quem versum Matth. 27. cap. citat. Et Ioan. 19. cap. versum 18. adducit, nempe: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Deniq; & Epistola ad Ebræos, cap. 2. versum 22. citat de Christo, nempe: Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesie laudabo te. Est itaque Psalmus iste primum querimoniam gemebunda patientis & morientis in cruce Christi, deinde iucundissima gratulatio & gratiarum actio suscitati & exaltati, quæ omnia in ipso Psalmi tractatu suis quoq; locis videbimus.

TITVLVS.

Titulus variè exponitur, tam ab Ebraeis quàm à nostris. Nos eas expositiones duntaxat commemorabimus, quæ potiores sunt, & ad Christum propius accedunt. Prima est eorum, qui illud תִּשְׁבַּח לַיְהוָה מוֹטְרָא, Super stella matutina legunt, quam quidam luciferum vocant: quæ lectio pulchrè satis Christum respicit. Is enim reuerà lucifer ille est, qui lucem diuinæ cognitionis Orbi vniuerso attulit, unde non immeritò stella matutina vel lucifer vocatur. Et sic etiam in Apoc. Ioannis seipsum Christus appellat, dicens: Ego sum genus & radix Dauidis, stella splendida & matutina: quasi ad hunc titulum Psalmi istius respiciens. Quin & Apoc. Petrus, cap. 1. posterioris Epistolæ, Christum luciferum vocat, cum dicit: Et habemus firmiorem propheticum sermone, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Obseruandum tamen, Christum non ita luciferum dici, & stellæ matutinæ comparari, quòd alius sit, qui maiorem

Stella matutina.

OBSER: maiorem